



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

51 Brachij secularis auxilium, quando invocari poßit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

nobis, in verb. tributa, & ibi Abb. num. 9. vers. aut allegat. de decim. Tiraq. in tract. de privil. pi. cau. privil. 153.

Limitatur tertio regula, ut non procedat ¶ in decimis leguminum, & aliorum minorum, ut de feno, herba, olivis, & mistis, quæ non proveniunt ex possessionibus, ut sunt decimæ caseorum, ovorum, animalium, gallinarum, & canserum pro quibus valet consuetudo nihil solvendi, quæ ferè in toto orbe terrarum servatur. S. Th. 2. 2. q. 87. art. 2. ad 3. in si. & Covar. d. c. 17. n. 8. vers. septimo eo. cum aliis supracitatis, quæ juris ordine servato, est probanda, quo casu à quolibet gravamine per definitivam illato appellatio est admittenda, c. ut debitus, de appell.

Quarto limitatur, ut non procedat in 49 decimis ¶ personalibus à quibus consuetudine præscripta laici eximuntur, Felin. in c. causam, qua n. 1. de præscript. Covar. eo. c. 17. n. 2. vers. & præter has, cum aliis supra allegatis. Et regulariter; ubicunq; 50 oritur quæstio super consuetudine, ¶ quæ juris effectum operetur; allegans debet admitti ad illam probandam, quia est facti, & servatis servandis probari debet. l. 1. & ibi glo. in ver. probatus, & Bar. n. 3. C. qua sit long. consuet. & contra pertinaces 51 invocari potest brachium seculare, c. postulat, extra de homicid. gloss. in c. dispendiosum, in verb. coerceri, & Monet. eo. c. 2. n. 57. quando non possunt ¶ compelli per censuram Ecclesiasticam, ut per Rebuff. ea. quæst. 15. num. 18 quia iudex ecclesiasticus non debet petere brachium seculare, nisi interveniat contumacia condemnati, vel debitoris, & servata forma conc. Trid. de qua in c. 2. de reform. sess. 25.

52 Quæri sæpe ¶ contingit, an clerici deci-

mam persolvere teneantur, & est regulare, quòd teneantur, cum enim clerici, ut plurimum à parochis recipiant sacramenta, pro quorum administratione ad residentiam sunt obligati, ut parochi, qui resident, & sacramenta administrant, se valeant sustentare ad solutionem decimarum tenentur, c. novum genus, de decimis. Rebuff. in tract. eodem titulo, quæst. 2. n. 7 & Azor. eod. lib. 7. inst. moral. cap. 35. sub vers. Secundo quæritur, & etiam Judæi quibus sacramenta non ministrantur, de terris quas colunt, decimas persolvere tenentur, cap. de terris, de decim. Oldrad. cons. 91. & Rebuff. eod. tract. quæst. 5. num. 11. & 12.

53 Ampliatur dicta regula, ¶ primò quòd non solum teneantur clerici solvere decimas prædiales de bonis patrimonialibus, & ab ipsis acquisitis, cap. novum genus, & ibi gloss. fin. & Abb. num. 4. vers. si verò clerici, de decim. sed etiam tenentur facere oblationes in casibus, in quibus laici offerre debent, si audiunt divina in aliis ecclesiis, tanquam parochiani illarum ecclesiarum, cap. alia, junct. gloss. in ver. si munus, 16. q. 1. & Abb. in d. cap. novum genus, num. 3.

54 Secundò, ¶ ampliatur in clericis collegialiter viventibus, qui etiam si non recipiant ecclesiastica sacramenta à parochis, sed sibi ipsi ad invicem subministrent, si tamen pro cultura tenent bubulcos, & famulos eorum sumptibus, quibus parochus ecclesiastica sacramenta subministrare tenentur, dicto casu, ratione residentia, quæ pro sacramentorum administratione ex debito facere tenentur, decimas prædiales parochi persolvere debent, in recompensationem. Naturali enim convenit